PA 411
.L7
Copy 1

Carl Lorschbach

PA 411
.L7

QUAESTIONES METRICAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS.

SCRIPSIT

Dr. CAROLUS LOESCHHORN,

GYMNASII PRAECEPTOR.

MAGDEBURGI

TYPIS ET IMPENSIS E. BAENSCHII.

MDCCCLXXIII.

Ihro Excellenzen,

den Herren Staatsministern und Ministern der geistlichen,

Unterrichts- und Medicinal-Angelegenheiten,

Rittern hoher Orden etc.

Dr. Falk und Dr. Buchka,

sowie den

hochlöblichen Universitäten Berlin und Rostock

ehrfurchtsvoll gewidmet

vom

Verfasser.

PH411
.L7

Quaestiones metricae.

Joannes Henricus Schmidtius, doctor Berolinensis, recentissimo tempore tribus operibus id efficere studuit, ut unitatem rhythmicam in numeris per se diversissimis restitueret. In quo eam disputandi iniit rationem, ut artis musicae hodiernae ope notis numeros exprimeret praeceptis antiquorum rhythmicorum et metricorum plane neglectis. Atque haec quidem iudicandi via per se valde est reprehendenda, quum vir doctissimus causas non attulerit, cur a doctrina eorum recesserit deque numeris graecis neminem rectius iudicare posse quam hominem Graecum non solum Boeckhius initio operis nobilissimi de metris Pindari doceat, sed omnes quibus de antiquorum poëtarum metris iudicium ferre propositum est exceptis Apelio et Schmidtio una mente consentiant. Accedit quod ipse Schmidtius systema hucusque non plane exposuit, sed propriam suam ac peculiarem sententiam, quam ne minimis quidem argumentis stabilivit, secutus omnia metra ad unitatem rhythmicam referre conatus est. Itaque factum est, ut totum opus minus philologicum quam musicum sit habendum. Ceterum de arte metrica quae facta est disciplina philologica Hermanni operibus nobilibus, quum antea nihil nisi observationes quaedam metricae ab Aldo, Faerno, Guilelmo Cantero, Bentleio, Brunckio, Ricardo Porsono in medium essent prolatae, ab Henrico Schmidtio ne minimum quidem allatum est Dolendum omnino est quod artis metricae hodie is est status, in quo acquiescere non queamus; confunditur

enim a viris doctis qui recenti aetate de hac re scripserunt, tota disciplina cum arte rhythmica et musica eique quasi inculcantur multae res ad eam, verum si quaerimus, minus pertinentes, ut sententia, nisi doctrinae respiciuntur elementa, de iis ferri non possit. Miror equidem quod philologi nonnulli huius aevi, inprimis Lehrsius et Schmidtius, ab antiquorum disciplina recesserunt, praesertim quum Hephaestio et Aristoxenus de Graecis numeris non male iudicasse censendi sint. Equidem enim suo loco demonstrare conabor, eorum praecepta non esse abicienda neque esse ea, ex quibus sani quid difficillimo negotio queat extorqueri. Inde sequitur, ut iis qui hodie de antiquis numeris disputaturi sunt, antiquorum vestigia premenda sint. Quare ita de re proposita disputabo, ut sententias Schmidtii antiquorum praeceptis redarguam et demonstrem, id quod ad rem sine dubio maxime est necessarium, virum doctissimum non ita paucis locis secum ipso pugnare, et si quando elucebit, antiquorum numerorum artifices errasse, propriam meam ac peculiarem opinionem in medium proferre non dubitabo.

Videndum igitur primo loco est quid sit rhythmus. De eius natura Boeckhius de metr. Pind. p. 5 optime disputavit eumque secuti sunt Rossbachius in arte rhythmica I p. 22 et Westphalius in altera operis editione I. p. 485. Inde hoc concluditur, artis metricae initium a rhythmo esse faciendum eumque cerni in ordine temporum Omnis rhythmus motu exhibetur non continuo, sed intercapedinibus quibusdam quasi decurrente. Atque hoc quidem ita esse confirmat Aristoxenus p. 272 ed. Morelli: *ῥυθμὸς γίγνεται, ὅταν ἡ τῶν χρόνων διαίρεσις τάξιν τινὰ λάβῃ ἀφωρισμένην.* Et quoniam materies quaedam deesse non debet rhythmo peculiaris, Aristoxenus eodem loco *ῥυθμιζόμενον* quoddam opus esse docet, cui tribuatur rhythmus. Quod quidem pag. 282 in tribus rebus cerni posse tradit, in oratione hominum, in sonis musicis, in motibus humani corporis. Rhythmus ut *ῥυθμιζόμε-*

νον ad certam quandam regulam accommodetur, in diversis partibus unitatem rhythmicam exhibeat oportet. Certus igitur ordo necessarius est; Aristoxenus pag. 289, docet rhythmum esse debere γνώριμον τῇ αἰσθήσει. Et quum omnis mora alterius morae indole definiri queat, χρόνος existit ἐλάχιστος sive πρῶτος sive σημεῖον, quo alium metimur. Quantum per temporis spatium singula σημεῖα possint extendi, certa ratione potest exhiberi numeroque exprimi, ita ut haec unitas rhythmica in ῥυθμιζομένῳ appareat. Vis quae singula rhythmi σημεῖα magis magisque adauget, modo gravior modo lenior cum sit, ad rhythmi indolem se accommodat eaque numeri pars, quam vis rhythmica maxime tangit, ictu significatur. Coniunctio arsium et thesium ad rhythmum appellatur πούς (Mar. Victor. p. 2486 ed. Putsche.) Marius Victorinus loco commemorato numeri partem maiorem appellat θέσιν, minorem ἄρσιν, utramque χρόνους ποδικοὺς sive σημεῖα.

Huic significandi usui assentitur Aristoxenus, quum τὸν κάτω χρόνον graviorem, τὸν ἄνω χρόνον leviorem appellet numeri partem. Posteriore tempore vim huius utriusque vocis plane commutatam esse atque conversam est, notumcum significatio non a numeri ictu, sed elevatione et submissione vocis proficisceretur. Quorum virorum adversarius exstitit Westphalius, qui antiquorum usum rhythmicum restituendum esse censet. Equidem existimo, doctrinae praecepta si respicimus, Westphalii sententiam esse rectam, usum tamen si intuemur, eam esse perversam. Quam quidem meam sententiam ita firmo, ut vocum ipsarum notionem primariam retinendam esse censeam; θέσις significat positionem quandam numeri, ἄρσις sublationem. Tueri tamen nos puto debere usitatam rationem, cum in metris ipsis constituendis sine dubio sit expeditior. Porro pedum notio statuenda est eodem sensu, quo apud Graecos invenitur πούς neque audiendum esse puto Westphalium, virum doctissimum, cum pedes idem valere censeat quod medio aevo „Tact.“ Id certe ex disputatione

mea concludi potest, utramque notionem esse eam, ut nisi alterius cum altera fit comparatio, non queat statui. Quare fieri posse certum est, ut una atque eadem numeri pars esse possit et arsis et thesis, prout altera numeri pars quacum congruit aut theseos aut arseos locum obtinet. Itaque existunt diversi numerorum gradus magnaque in rhythmis varietas, ut collocatio arsium et thesium ad numerum rhythmicum bene efficiendum paene nihil conferat. Rhythmus igitur ab arsi aut thesi incipere debet, non tamen thesis arsi aut arsis thesi efficitur. In hodierna arte musica numeros a gravi parte incipere notum est. Itaque falso Jo. Henricus Schmidtius plerosque numeros ab anacrusi correpta incipere docet, cum in schematis suis hanc sententiam ferat, quamvis se ad hodiernae artis musicae praecepta accommodare ipse in praefatione operis non aperte quidem, sed ita ut eum hanc sententiam probare perfacili opera possit concludi XVIIa in der Eurhythmie dicat. Porro unitatem rhythmicam si statuimus, coniunctio singularum partium i. e. *χρόνων ποδικῶν* antea statuatur oportet. Sed intra rhythmum, si interruptus est, statuendae videntur morae thesesque ita possunt expleri, ut in dicendo subsistamus. Nihilominus exstant coniunctiones quae appellantur arrhythmicae, quin etiam maximam numerorum multitudinem ad hoc rhythmorum genus referendam esse docet Aristoxen. fragm. 475; quum enim rhythmus quasi sensus sit innatus ordini, si violatur, exsistit arrhythmia. Ad metra tamen constituenda syllabae utrum natura sint longae an positione factae, nihil refert. Cui sententiae assentitur Dionysius Halicarnassensis de compositione verborum p. 178 ed. Schaefer, a vocali brevi in disputando proficiscens et Quintilianus IX, 4, 84. Itaque per se apparebit, syllabam positione longam ita ortam esse, ut consonanti vis ad quantitatem constituendam concederetur. Metricos pedes et rhythmicos omnino non esse confundendos Gaisfordius ad Heph. p. 223 et Santenius ad

Terentianum Maurum 53 docent. Vehementissime enim inter se abhorrent, cum metricus pes constet ex coniunctione syllabarum longarum et brevium, rhythmici contra pedes ex arsibus et thesibus sint compositi. Erravit igitur Jo. Henricus Schmidtius pag. 14, cum arseos et theseos notionem commutaret et converteret. Dicit enim pag. 13 haec: „Die griechische Benennung rührt von dem Gebrauche her, durch Stampfen mit dem Fuße den Rhythmus jeder musikalischen Production beim Unterricht u. s. w. bemerkbar zu machen. Man trat mit dem Fuße nieder beim schweren Tacttheil, der den Ictus trug. Daher hieß dieser θέσις; man hob den Fuß empor beim leichten Tacttheil, der aus diesem Grunde ἄρσις hieß. So ist beim Dactylus die Länge die θέσις, die beiden folgenden Kürzen die ἄρσις:

θέσις ἄρσις

– ◡ ◡

Erst in ganz später Zeit drehte man die Bedeutung dieser beiden Benennungen um, ein Gebrauch, wonach sich unsere Handbücher leider immer noch zu richten pflegen, und deutete nun höchst verkehrt ἄρσις als die „Erhebung," θέσις als die „Senkung der Stimme." Wir werden natürlich den Ausdrücken ihren antiken Sinn lassen.

2. Die griechischen Tacte wurden ursprünglich nach dem Principe gebaut, daß die langen Silben die Thesen, die kurzen die Arsen bildeten. Frühzeitig aber gewöhnte man sich daran, auch in der Arsis die Länge zu dulden, so daß z. B. der Spondeus den Dactylus vertreten konnte ′ ◡ ◡ Henricus Schmidtius quum brevem syllabam $\frac{1}{8}$ numerum explere censeat neque hanc sententiam argumentis firmet, mihi errasse videtur. Tota igitur eius diudicandorum versuum ratio ei propria ac peculiaris est et si forte quis alia numeri parte numeros metitur, id quod perfacili opera potest admitti, totum eius systema labefactatum corruit. Sed ipsam inspiciamus viri docti versuum distributionem. Ad γένος ἴσον pag. 14 refert

⏑ ⏑ dactylum et ⏑ – spondeum, quum syllabam longam ex duabus moris constare rectissime existimet. Non tamen vides, cur vir eruditus anapaestum, in quo duae syllabae breves longae praemissae sunt, non item ad hoc versuum genus referat; anacrusis enim quid sibi velit ad anapaesticum numerum diudicandum, non intelligo. Fingit Schmidtius, nisi fallor ad suam sententiam firmandam, antiquos numeros a pleno numero non incipientes anacrusi praemissa diudicari esse solitos, cum quantum equidem scio, de hac re nihil sit traditum. Itaque Schmidtii mensuram trimetri iambici pag. 20 ⏑ ⏑ : ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | –, qua trochaicus ordo catalecticus cum anacrusi statuitur, reicio proboque contrariam, qua a iambo totius versus fit initium. Ceteros versus cum ipse sibi constet, rectissime metitur Schmidtius; miror tamen virum doctissimum non vidisse praeter tria *γένη*, *γένος ἴσον*, *διπλάσιον*, *ἡμιόλιον* admittendum esse *γένος ἐπίτριτον*, ubi arsi quattuor, thesi tria tempora tribuuntur exsistitque ratio 1: $1\frac{1}{3}$, de qua vide Gell. 18, 14. Aristid. Quint p. 35. Huc accedere etiam exploratum est *γένος τριπλάσιον*, ubi arsis ex tribus, thesis ex una mora constat (vid. Psell. 9.) Deinde pag. 16 Schmidtius tradit, numeros sive sunt thetici sive anacrusi praediti iustam praebere rationem inter thesin et arsin intercedentem exceptis bacchiis ⏑ – ⏑, ⏑ ⏑ – ⏑, ubi theseos et arseos rationem eandem esse censet quam numerorum 2: 3. In quo fallitur vir doctissimus, cum de bacchiaco numero facillime aliter iudicare queamus. Omnino de nomine dubitationes motas esse satis notum est; antiqui enim priore tempore bacchium appellare solebant ionicum a minore (Plut. de musica 29 cf. Westphal Rhythmik I, 610.) Postea Hephaestio bacchium ⏑ – –, palimbacchium hoc modo – – ⏑ formatum esse docuit. Dicit Heph. p. 72 palimbacchium non fuisse usitatum, bacchium rarius inveniri p. 177. Inde facile concludi posse arbitror, palimbacchium bacchii metricam esse formam, bacchium ad paeonicum rhyth-

mum posse referri, ita ud ⏑ — arseos, theseos vice fungatur. Paene mecum consentit Westphalius I, 620 cum bacchium creticum esse existimet. Non tamen viro docto assentior in bacchiaco numero paeonicum rhythmum inesse non posse censenti quod syllaba brevis initio posita thesis sit oporteat atque ita numerorum ratio plane arrhythmica agnoscatur 1 : 4.

Mea quidem sententia syllaba brevis optime ad arsin potest referri, cum omnes coniunctiones bacchiorum aliter queant diudicari, praecipue iambus creticis subsequentibus i. e. dochmius. Equidem censeo, antiquos metricos bacchiacum numerum constituisse, quum nonnulli versus apud poëtas tragicos inveniantur ita quidem comparati, ut bacchii formam singula eorum vocabula prae se ferant (cf. Dionys. Halic. de compos. verb. p. 517), ut Prom. 115 ut Philoct. 396. Mea quidem opinione errore duci non iam possumus, si bacchios ducamus iambos syncope ortos, quum nonnullis locis, ut Phil. 185. 769. 804 bacchii iambis legantur interserti. Falso iudicat Schmidtius, cum pag. 18 epitriticum et paeonicum rhythmorum genus omnino non statuat neque eo agnoscat rationem eorum a tribus notis rhythmorum generibus diversam. Ceteros pedes cum Schmidtio ita diudico, ut eos numeros non ducam, sed compositos ex notis bisyllabis vel trisyllabis pedibus censeam. Atque haec quidem mea sententia ipsa versuum indole firmatur; perfacili enim opera omnes alii numeri ad eos, quorum antea facta est mentio, referri queunt. Deinde miror quod Schmidtius syncopen in penultimo versus pede statuit additque, non raro dubitari posse, num acatalectus exitus agnoscendus sit an syncope. Mea quidem sententia in eiusmodi ordinibus diudicandis errare non iam possumus, si diligenter nobiscum reputamus, quinam ordines iambici in medium prolati sint. Senarius et quaternarius semper sunt ordines acatalecti, ut de iis dubitare non iam queamus. Porro non arridet Schmidtii sententia pag. 22:

Die Natur selbst lehrt das Princip, welches durch die ganze griechische Metrik herrscht.

Kurz sind nur die Silben, welche auf einen kurzen Vocal enden, lang alle andern.

Als lange Silben gelten demnach:

1. diejenigen mit gedehntem Vocal und consonantischem Ausgang wie τῶν.

2. die auf einen gedehnten Vocal endenden, wie τώ.

3. die mit kurzem Vocal, aber consonantischem Ausgang, wie τόν.

Cum enim sibi fingat Henricus Schmidtius mensuram quandam a natura, ut ait, datam — quae tamen revera minime exstat eaque quantitatem syllabarum constituat, iusta reprehensione dignus est habendus. Accedit quod syllaba brevem vocalem habens, in consonantem tamen exiens per se minime, ut censet Schmidtius longa est putanda, sed tum modo quum sequitur consonans. Atque haec quidem eius sententia eo est absurdior, quod positionem, quae appellatur, Schmidtius alio modo effici non posse existimat, nisi statuitur lex, cuius modo facta est mentio. Deinde viro docto non assentior pag. 24 tradenti: „Wenn die kurze Arsissilbe die Geltung einer Länge erhält, so ist das keine Retardation, sondern eine Acceleration des Tempos. So vertreten denn Trochäen oder Tribracheis nicht selten in dactylischen Strophen die Spondeen oder Dactylen — ∪ oder ∪ ∪ ∪, d. h. —> oder ∪ ∪ > statt — — oder — ∪ ∪. Aus diesem Grunde kommen diese irrationalen Tacte grade wieder ausschließlich dem Melos zu und fehlen dagegen im erzählenden Hexameter, wie in der Elegie, die meistens ebensowenig eine geeignete Grundlage zu einer musikalischen Composition bildet." Errat enim quum putet, trochaeos aut tribrachos in strophis dactylicis spondeorum vel dactylorum vice fungi; quod enim si fieret, dactylicus numerus interrumperetur. Errat Schmidtius, cum de logaoedicorum versuum natura atque indole pag. 25 tradat: „Die Griechen haben ferner das

diplasische Metrum in einer eigenthümlichen Form, der logaödischen, ausgeprägt, die sich theilen durch ihre irrationale Spondeen (d. h. — — = — >), wie jener jambische Trimeter u. s. w. der Prosa annähert (daher auch der Name), theils durch corripirte Dactylen einen rascheren und kräftigeren Gang erhält. Diese Dactylen, kyklische genannt, erhalten in logaödischen Versen die Geltung von Trochäen. Also grade die lange Thesis wird etwas corripirt, so daß sie mit der folgenden, sehr hastig gesprochenen kurzen Silbe zusammen nur die Geltung einer einzigen Länge hat, was durch Zusammenschreiben, nach Westphal u. s. w. bezeichnet werden kann: — ∪ ∪ — — ∪. Constat in versibus logaoedicis dactylum habendum esse pedem cyclium eandemque mensuram prae se ferre quam trochaeum, anapaestum eandem quam iambum. Spondeos contra irrationales in logaoedicis versibus omnino non statuo mirorque Schmidtium tale quid sine argumentis contendere. Ceterum de notione logaoedicorum versuum magna est lis. Equidem existimo, respiciendum nobis esse locum quendam Heph. p. 43, ut de iis iudicium ferre queamus. Porro falso iudicat Schmidtius, in paeonico numero trochaeum disemum esse statuendum syllabarumque coniunctiones, quales has — ∪ — — ∪ — — ∪ — ∪ — ∪ — accipi posse trochaeos intercapedinibus intersertis. Equidem enim de numero paeonico ita diudico, ut eum omnino non admittendum esse putem neque assentior Godofredo Hermanno in elem. pag. 586 metrum paeonicum proprium ac peculiare statuenti. Adductus est ad eam opinionem Hermannus ea de causa quod forma primi paeonis nonnullis locis tam saepe tamque quasi ad regulam accommodata redit, ut per se eam spectandam esse arbitraretur arsiumque collocatione differentiam inter paeonicum et creticum numerum constitueret. Recte Boeckhius de metr. Pind. p. 141 contendit, eiusmodi versus distingui non oportere omninoque creticos ad trochaicum numerum posse concinnari ita ut habeantur trochaci thesi suppressa. Quod contra non arridet, quod Westphalius

I pag. 621 rhythmum paeonicum plane ex arte metrica exterminat, dochmios tamen puros bacchios ducit. Ipse igitur secum pugnat. Deinde quaestio oriri potest, quos et quot pedes ad ordinem rhythmicum coniungi posse antiqui rhythmici docuerint. Omnino ordinem censent esse pedem aut trisemum aut tetrasemum aut pentasemum aut hexasemum; ad ordinem officiendum ii modo pedes habendi sunt appositi, in quibus iusta ratio inter arses et theses intercedens potest agnosci. Rhythmici igitur ordinis forma quasi sensibus nostris efficitur, ita ut inde enascantur leges ad ambitum ordinum pertinentes. In dactylico genere ordinis conformatio usque ad tetrapodiam extendi potest, in iambico usque ad hexapodiam, in paeonico ad pentapodiam (cf. Aristoxen. 12. Aristid. Quint. p. 35 Meib. Roßbach und Weſtphal Rhythmik p. 52.) Deinde tradit Cicero de oratore III, 185 eosdem pedes ad ordinem coniungi solere intervallaque ab uno ictu usque ad alterum extensa plane idem explere temporis spatium. Recte igitur de hac re iudicat Jo. Henricus Schmidtius eique assentior, quod leges in logaoedico numero non perturbari pag. 33 tradit. Dactylus enim in eiusmodi ordinibus habendus est pes cyclius, ut numeri diversi ambitus ad unum ordinem rhythmicum consocientur (Aristid. Quint. p. 42 ed. Meibom, Boeckh de metr. Pind. p. 90. Roßbach Rhythmik p. 161. Weſtphal 1. Bd. der Metrik pag. 683.) Recte iudicat Schmidtius, quum pag. 36 trimetri mensuram a Westphalio prolatam reiciat. Ipse contra Westphalius valde hoc loco reprehendendus est propterea quod ipse secum pugnat in mensura trimetri constituenda. Jambicam enim dipodiam ictum primarium, ut ita dicam, in prima arsi habere Aristid. Quint. p. 39 docet, ita ut alter iambus in dipodia habeatur arsis, alter thesis eamque sententiam, qua ictus primarius primo iambo insidet, una cum mensura dipodica Westphalius I, 650 reicit, nihilo tamen minus, id quod minime a viro docto exspectes-contendit, ictus primarios in prima, tertia et

quinta arsi esse positos II. 478. Porro ipsa Schmidtii verba mihi non placent, cum dicat pag. 36: „Diese von Westphal (in den „Fragmenten der Rhythmiker") ermittelte Betonungsart des Trimeters hat aber wenig Einleuchtendes für sich." Pag. 38 tradit Schmidtius: 1) Irrationale Trochäen in den graden Tactstellen diplasischer Metra sind retardirend und nähern der Prosa; derselbe Fall ist, wo sie in logaödischen Versen auftreten. Wir nennen sie deshalb retardirende Trochäen.

II. Irrationale Spondeen d. h. scheinbare Trochäen, welche die metrische Dauer von Spondeen haben (– ∪ mit der Geltung – >) und irrationale Dactylen d. h. Tribracheis, die den Werth von Dactylen haben (∪ ∪ ∪ mit der Geltung ∪ ∪ >) acceleriren und können deshalb accelerirte Spondeen und Dactylen genannt werden. In universum recte iudicat Schmidtius de vi temporum irrationalium, non tamen credo, retardandi et accelerandi notionem in iis valde esse premendam, cum de hac re, quantum equidem scio, nihil tradatur (cf. Boeckh de metr. Pind. p. 61. Roßbach Rhythmik p. 39, Westphal 1. Bd. Metrik S. 625) Ubi fusius de numeris irrationalibus exponit, haec docet: „Die jambische oder trochäische Dipodie tritt nur catalectisch und als Einzelvers auf: hier kann demnach kein irrationaler Trochäus vorkommen. 2) Die gleichnamige Tripodie ist selten und bildet entweder *στίχοι περίκωλοι*, wie Choephor. III str. *β v.* 2 oder sie wechselt mit logaödischen Sätzen, wie Eumenid. VIII str. *β*. Minime assentior viro docto tale quid contendenti; exstant enim loci ubi iambica aut trochaica dipodia acatalecta vel hypercatalectica est vel cum alio numero iniit coniunctionem, ut Prom. 132 *κτύπου γὰρ ἀχὼ* est iambica dipodia praemissa choriambo, quae quidem metrorum forma bis posita est clausula ordinis in iambicam dipodiam exeunte, ut 166 praecedentibus duobus dactylis, 430 *βοᾶ δὲ πόντιος κλύδων*, ubi duae dipodiae iambicae inveniuntur, 415—418 duae dipodiae trochaicae acatalectae leguntur, 529 praemittitur dipodia trochaica acatalecta ordini dactylico, in 548 duae insunt di-

podiae trochaicae, 552 sequuntur duae dipodiae trochaicae ordinem dactylicum, 566 duae iambicae dipodiae leguntur et si forte quis de industria quaesiverit, permulta exempla apud Aeschylum deprehendat, ubi iambicae vel trochaicae dipodiae inveniuntur acatalectae sive hypercatalecticae. Tripodia trochaica catalectica invenitur Choeph. 645 coniuncta cum tetrapodia iambica. Pag. 48 tradit Schmidtius:

1) Es kann ein Kolon mit Anacruſe einem ſolchen ohne Anacruſe entſprechen.

2) Es können katalectiſche und acatalectiſche Kola einander reſpondiren. In quo vir doctissimus minime recte iudicasse videtur, nisi omnia me fallunt, cum, quantum equidem scio, si non accurata metrorum responsio servatur, omnino de responsione dubitari non queat. Ceterum totam doctrinam de periodorum indole reicio, cum de ea, quantum ad meam pervenit cognitionem, nihil sit traditum. Hephaestis enim pag. 123 Gaisford II, ed. tradit: *προῳδικὰ δέ ἐστιν, ἐν οἷς τὸ ἀνόμοιον προτέτακται τῶν ὁμοίων, μεσῳδικὰ δέ, ἐν οἷς περιέχει μὲν τὰ ὅμοια, μέσον δὲ τὸ ἀνόμοιον τέτακται. Παλινῳδικὰ δέ, ἐν οἷς τὰ μὲν περιέχοντα ἀλλήλοις ἐστὶν ὅμοια, ἀνόμοια δὲ τοῖς πεπραγμένοις. τὰ δὲ περιεχόμενα ἀλλήλοις μὲν ὁμοιά ἐστιν, ἀνόμοια δὲ τοῖς περιέχουσι.* Fingit igitur Schmidtius pag. 65: „Das Meſodikon hat eine iſorrhythmiſche Gliederung, iſt alſo eine Dipodie oder Tetrapodie. b) Das Meſodikon hat eine hemioliſche Gliederung, iſt alſo eine Pentapodie, c) Das Meſodikon hat eine diplaſiſche Gliederung, iſt alſo eine Tripodie oder Hexapodie. Porro regulas p. 81 sibi finxisse videtur: „Jede Kürze kann hier zwar die Länge vertreten, nicht aber eine an ſich kurze Silbe mit elidirtem Vocal die Geltung einer Länge erhalten. Ebenſowenig kann die kurze Silbe am Schluſſe des Verſes gedehnt werden, wenn noch der Conſonant eines um ſeinen Vocal beraubten Wortes dahinter ſteht.“ Ipse dicit, has regulas hucusque fuisse videri ignotas; desideratur igitur locus apud antiquos quo haec sententia queat firmari. Et quoniam equidem graecae

artis metricae praecepta ex fontibus repetenda esse censeo, huic viri doctissimi opinioni assentiri non queo. Deinde Schmidtii sententia a Rossbachio pag. 208 prolata mihi non arridet: „Eine jede Periode muß mit einem Versende ſchließen und ſo von den folgenden und vorausgehenden durch eine Pauſe getrennt ſein, die dem Gange und Tempo zum Ruhepunkte dient." Inanibus rhythmi temporibus expleri versus catalecticos a Quintiliano 9, 4, 51 et Aristid. Quint. p. 41 traditur assentientibus Boeckhio de metr. Pind. p. 64, Rossbachio p. 49 Rhythmik, Westphalio 1. Bd. Metrik p. 531. His locis quantum equidem intelligere possum, non exponitur, ubique in clausula versuum statuendam esse pausam. Corruit igitur tota Schmidtii doctrina qua pausis circumscribuntur periodi. Ceteras versuum coniunctionis leges cum ipse sibi finxisse videatur Schmidtius, reicio. De periodorum consociatione audiendus est scholiastes ad Pindari Ol. 11, 21 et Ol. 9, 89, Rossbach et Westphal I, 669. Recte quidem pag. 89 Schmidtius vituperat Rossbachii sententiam: „Die Verspauſe ſteht außerhalb des Rhythmus;" quod enim si ita esset, quid sibi vellet pausa, intelligi non posset; ipse autem reprehensione dignus est quum doceat: „Die Verspauſen ſind das ordnende Princip der Perioden; ſie reſpondiren ebenſo ſtreng, wie die Kola." Equidem valde dissentio cum viro docto, cum prae ceteris regulis eam legem tenendam esse existimem, versus clausulam pleno vocabulo fieri debere (Heph. p. 26 *πᾶν μέτρον εἰς τελείαν περατοῦται λέξιν*, Mar. Victor. p. 2499, Boeckh de metr. Pind. p. 82. III, 24 pag. 324) alterumque clausulae versus indicium accedere syllaba ancipiti Heph. p. 26. Boeckh de metr. Pind. p. 61. De tertio versus finiti indicio, hiatu, prae ceteris audiendum esse puto Aristoxenum apud Mar. Victorin. 2206. Boeckhium de metr. Pind. p. 101.

Pag. 73 docet Schmidtius: „Die folgenden Einſchränkungen halten wir im Weſen der Sache ſelbſt begründet.

1. Das Proodikon wie das Epodikon beſteht ſtets nur aus einem

Kolon. Videamus de hac re Hephaestionem Gaisf. II, 123 haec tradentem: *Προῳδικὰ δέ ἐστιν, ἐν οἷς τὸ ἀνόμοιον προτέτακται τῶν ὁμοίων.* Exponit igitur vim proodicorum, non tamen docet proodica et epodica ex uno colo constare. Contrariam potius amplecti videtur sententiam, cum *ἀνόμοιον* praemissum esse dicat *τοῖς ὁμοίοις.* Errat igitur Schmidtius quum dicat pag. 74: „Noch verkehrter aber ist es, ein Epodikon oder Proodikon aus zwei ungleichen Gliedern anzunehmen." Paullo infra docet: „Die nicht respondirenden Glieder einer Periode dürfen nicht das Uebergewicht über die respondirenden Glieder haben." Apud Hephaestionem de hac re nihil legi atque ita Schmidtii sententiae quod non adstipulor, nemo mirabitur. Pag. 119 tradit Schmidtius: „Ueberhaupt ist der Begriff der Logaöden ein sehr unbestimmter. Der Uebergang in Jamben oder Trochäen findet sehr allmählig statt, wie schon der Trimeter des Dialogs logaödische Anklänge haben kann. Ob man daher eine logaödische oder etwa eine jambische Periode vor sich habe, darüber entscheiden die Verhältnisse, welche in der Mehrheit der Kola herrschen." De notione versuum logaoedicorum dubitari non iam posse credo, praesertim quum spectetur locus Heph. p. 85 II. Gaisf. Pag. 122 recte, quantum equidem iudicare possum, de periodorum consociatione Aeschylea disputat. Pag. 125 tradit Schmidtius: „Wir erkennen, was sehr wichtig ist, daß die Ictenverhältnisse innerhalb eines Tactes in genauester Beziehung zu den Bewegungen beim Tanze stehen. Also auch der Charakter der Melodien steht in genauestem Zusammenhange mit den Ictenverhältnissen innerhalb der Einzeltacte. Weiter aber diese Ictenverhältnisse erlauben sichere Schlüsse auf die metrische Gestalt der Tacte pag. 131. Wohl zu unterscheiden vom Tactwechsel im Kolon selbst ist der Wechsel rhythmischer Kola von verschiedenem Tactmaße in derselben Periode." Exposuisse videtur vir doctissimus de duobus colorum generibus quae ipse sibi finxit. Omnia cola metrica ad rhythmum referenda esse per se apparet nec rhythmi facienda

est mentio. Cui meae sententiae ipse Jo. Henricus Schmidtius favere videtur, cum pag. 140 de dochmii mensura exponat. Pugnat igitur secum vir doctus. Pag. 133 etc. de dochmii natura et indole cum exponat, nonnulla apud Aeschylum se observasse contendit. In universum tamen se dubitare censet, quanam ratione dochmiaci versus sint accipiendi. Equidem censeo, ut de hac re iudicium feratur, respiciendum esse locum Aristid. Quint. p. 39, ubi dochmiacus pes ⏑ – | – ⏑ – ita diudicatur, ut rationem numerorum 3: 5 prae se ferens habeatur compositus ex iambo et cretico. Docet Schmidtius pag. 133: „Es ist nicht zu verwundern, daß auch neben Dochmien die Logaöden eine große Rolle spielen und ganz besonders dazu bestimmt erscheinen, den Schluß von Systemen und Perioden zu bilden. Die Sache kann gar nicht mißverstanden werden, wo diese Kola entweder Tetrapodien oder ein zweiter Pherecrateus (– ⏑ | – ⏑ ⏑ | – X ‖) sind. Deinde pergit: „Fraglich ist es dagegen, was die rhythmische Geltung eines sogenannten ersten Pherecrateus (– ⏑ ⏑ | – ⏑ | X) neben Dochmien sei. Es ist nämlich eine doppelte Auffassung möglich:

> ⋮ ⏑ ⏑ – ⏑ | – X ‖ oder auch
> – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – X ‖

Equidem censeo hunc scrupulum facillima opera ita posse tolli, ut strophae totius respiciatur compositio. In strophis pure dochmiacis, quas quidem in tragoediarum exodis usurpari solere exploratum est, logaoedicum versum apud tragicos statuendum non esse observandum puto, quod contra dochmius in stropha logaoedica invenitur apud Pindarum Py. V, 6. Omnino de versuum dochmiacorum natura dubitare non iam poterimus, si diligenter nobiscum reputaverimus, eos ita esse accipiendos, ut habeantur compositi ex iambo et dipodia trochaica catalectica. Hoc modo si de dochmio iudicamus, paene ad Aristid. Quint. p. 39 sententiam nos accedere per se apparet. Cui opinioni non repugnat IX, 4, 97, ubi dochmiacus versus habetur compositus ex bacchio et iambo.

Reicienda contra est opinio scholiastae ad Aeschyl. sept. 103 et 126 et Heph. p. 55, qua dochmius ad antispasticum numerum refertur, ita ut habeatur monometer antispasticus hypercatalecticus, quum antispasticus numerus ab Heliodoro primo excogitatus et a posteris sola eius auctoritate probatus sit. Corruit igitur viri docti sententia: „Die Entſcheidung des oben aufgeſtellten Problems (nämlich wie der pherecrateus zu beurtheilen) würde man näher kommen, wenn überall mit Beſtimmtheit die Meſſung der Größe ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – anzugeben wäre. Aber auch hier iſt ebenſo gut die reine diplaſiſche, wie die dochmiſche Meſſung zuläſſig:

⏑ ⁝ ⏑ ⏑ – ⏑ | – X oder auch

⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ | – X. Mensura enim ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – si admittitur, pherecrateus omnino non exsistit, ut Schmidtii sententiae assentiri non queam.

Haec fuse explicanda esse existimavi, ut appareat, quomodo de Schmidtii arte metrica mensuraque versuum nobis sit iudicandum. In universum apparebit, permultas leges virum doctum sibi finxisse ad propriam suam ac peculiarem opinionem, omnes numeros quamvis sint diversi, ad unitatem rhythmicam esse concinnandos firmandam saepissimeque ipsum secum pugnare. Schmidtius si fontes ipsos perquisivisset et quid iis tribuendum videretur pretii, demonstravisset, magnos certe errores non commisisset. Sed ut sententias supra allatas argumentis ex canticis desumplis stabiliam, eam disputandi viam ingrediar, ut quum antea demonstraverim, quos et quales numeros Schmidtius constituendos esse putet eosque omnes in calculum vocaverim, diutius subsistam in canticorum Aeschyleorum nonnullorum metris diudicandis.

Agam. Parod. V, 104—257. Schmidtius cum ordini adiciat vocem ἐντελέων, hexametro dactylico additamentum inutile associat. Nusquam enim traditum est, hexametrum ab antiquis fuisse extensum; plane alio modo nobis iudicandum est de duabus tetrapodiis dactylicis ad unum ordinem con-

iunctis. Deinde versum construit ineptissimum, cum anacrusis dactylicis versibus non apponatur. Voces ξύμφρονε ταγὼ per se spectandae sunt, cum optime his numeris gravibus orationis continuitas interrumpatur neque audiendus est Westphalius pag. 371 ed. II dimetrum dactylicum ex Aeschyli tragoediis exterminans. Cui meae sententiae commendationis cumulus accedit quod ipse vir doctus causas non affert, cur πειθὼ μολπᾶν dimetrum dactylicum non ducat, praesertim quum apud Eurip. Heracl. 608, 2, 4 eiusmodi versum inveniri ipse Westphalius loco commemorato auctor sit, nec afferat causam, cur Aeschylus peculiarem quandam versuum fingendorum secutus esse censendus sit rationem. Porro ordines πέμπει σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτωρ θούριος ὄρνις Τευκρίδ' ἐπ' αἶαν mea quidem sententia ii sunt, ut coniunctionem inire queant, quum duas tetrapodias dactylicas ad unum ordinem ab Aeschylo consociari solere Westphalius pag. 370 doceat. Accedit aliud quoddam argumentum haud contemnendum ad meam sententiam firmandam, quod mea opinione probata paullulo diminuitur orationis continuitas, ita ut altero loco agnosci queat hexameter dactylicus ordo perfectissimus, altero pentameter ἐκτελέων. ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει. Voces πειθὼ μολπᾶν quodammodo sedant rhythmum concitatissimum animosque perturbatos quasi ad se ipsos revocant. ἀλκᾷ σύμφυτος αἰὼν mea sententia est tripodia dactylica. Ceterum cum dipodia et tripodia dactylicae coniunctionem inter se non inierint, antea tamen ad pentametrum sint consociatae, novo stabilitur argumento sententia mea. Saepius enim ordines antea coniuncti in partes dissolvuntur aut certe partes eorum repetuntur, inprimis apud Pindarum cf. Ol. 1, 4, 8, 10, sed etiam apud Aeschylum, ubi in hoc cantico εὖτ' ἀπλοίᾳ κεναγγεῖ βαρύνοντ' Ἀχαϊκὸς λεὼς praecedunt, sequitur ordo Χαλκίδος πέραν ἔχων idem metrum prae se ferens quod altera versus proxime antecedentis pars – ∪ – ∪ – ∪ –. Eodem modo iudicandum est de ordine οὐδὲ λέξεται πρὶν ὤν, si compa-

ratio eius cum ordine praecedente *οὐδ' ὅστις πάρουθεν ἦν μέγας, παμμαχῳ θράσει βρύων* instituitur. Ceterum Westphalius in versibus dimetiendis lapsus est; statuit enim alterius versus mensuram eiusmodi:

⏑ ⏑ ˈ– ⏑ ⏑ ˈ– ⏑ ⏑ ˈ– – ˈ– ⏑ | ˈ– – ˈ– – ˈ– ⏑ ⏑ ˈ– –

ut formam primariam ordinis *πειθωμολπᾶν* eam esse censeat ˈ– ⏑ ˈ– –.

Quae tamen mensura est explodenda, cum dactylicus numerus in ea non eluceat mirorque Westphalium, nisi forte typographi errore vitium est admissum, tale quid pro certo duxisse. Porro mihi non persuasum est, tertium versum ita esse diudicandum, ut a Westphalio factum est:

⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – –

cum hexametro, ut iam supra dixi, incrementum non addiciatur. Accedit quod in hexametro subsequente desideratur caesura maxime necessaria, ut inter omnes constat, totusque versus exsistit plane absonus. Quare versum ita accipiendum esse censeo, ut plerique critici in iisque Dindorfius censuerunt: *ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος | Ἑλλάδος ἥβας.* Ita prima ordinis pars est dipodia iambica subsequente tetrapodia dactylica. *ξύμφρονα ταγὰν* est dimeter dactylicus bene respondens dimetro *πειθωμολπᾶν.* Brevibus enim his versibus interrumpitur quodammodo orationis elatio. Ceterum meae versuum diudicandorum rationi favet etiam illud quod ordinibus ita constitutis, ut modo exposui, a maiore ad minus quodammodo fit apta descensio. Cetera in ordinum distributione a Westphalio proposita mihi ita arrident, ut in ea acquiescam. Similiter de antistropha me iudicare per se apparet. *Ἀτρείδας* si ponitur, hexameter dactylicus vocabulo adaugetur. Per *πομπᾶς ἀρχούς* admittitur iusta orationis interruptio. Ordo per se statuendus est, ut iam supra demonstravi. *οὕτω δ' εἶπε τεράζων* ordo sui iuris est, praesertim quum sit dactylicus subsequentibus iambis. Hoc inprimis ad stropharum harum

magnificentiam augendam permultum conferre quod interrumpitur brevibus ordinibus stropha per longissimos numeros incedens didici. Deinde tetrametri dactylici sequuntur in hac stropha usitatissimi

κτήνη πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ
Μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον

Versum sequentem recte diudicavit Schmidtius metrumque probandum est; sunt enim duae tetrapodiae dactylicae ad unum ordinem coniunctae, *οἷον μή τις ἀγὰ θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας*. Quod contra quid sibi velit Schmidtius coniecturam *στρατῷ θενεῖν* afferens non video. Fortasse vir doctus iambum restituere voluit, ut ordinem efficeret iambicum dactylico praecedentem. Accedit quod in lectione *στρατῷ θενεῖν* infinitivus aoristi *θενεῖν* usurpatur, qui, quantum equidem scio, ab Aeschyli scribendi consuetudine abhorret; invenitur apud Euripidem Heracl. 272 et Aristophanem Acharn. 538. Av. 54. Lys. 821. Equit. 638. Vesp. 1584. Av. 1613. Ran. 834. Quod contra verbum omnino Aeschyleum esse absque dubio apparet ex Aeschyl. Sept. 364, ubi praesens invenitur positum. Lectio *καὶ γὰρ ἐπίφθονος* a tradita ita abhorret, ut probari non queat. Ceterum miror Schmidtium ne uno quidem verbo tetigisse causas, cur tale quid contenderet. Restituenda est Hermanni lectio a Dindorfio recepta *στρατωθέν. οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἀγνά* metrumque ab his viris doctis statutum retinendum. Cui meae sententiae favet etiam illud quod Jo. Henricus Schmidtius mensura in versu subsequente statuta – ∪ ∪ – – – – – ∪ ∪ – ∪ rhythmi leges migrat. Prior enim huius ordinis pars – ∪ ∪ – – *Ἄρτεμις ἀγρὰ* cum sit dactylica cum *πτανοῖσι κυσὶ πατρὸς* non est confundenda, sed potius per se intuenda. Altera enim ordinis a Schmidtio constituti pars glyconei speciem prae se fert – – – ∪ ∪ – ∪. Cetera mihi arrident.

β. ἐπῳδός 140.

Schmidtius vituperat Westphalium cum metra epodi con fundat. In quo vir doctissimus nimis acerbe iudicasse censendus est. In universum placet metrorum distributio a Westphalio prolata excepto eo quod versus paenultimus a Westphalio falso est diudicatus vel potius-non enim credo, virum doctum tam graviter errasse, typographi errore falso adscriptus. — — ∪ ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ metrum versus est, non ⏑ ∪ ∪ ⏑ — ⏑ ∪ ∪ ⏑ ∪. Atque hoc quidem metrum ita acceptum velim, ut putem esse tetrapodiam dactylicam logaoedicam cum anacrusi, non tamen tetrapodiam dactylicam catalecticam cum anacrusi, propterea quod anacrusis dactylicis versibus apud tragicos non praemittitur, sed apud aeolicos invenitur, ita ut exsistant glyconei, pherecratei versusque iis cognati. Rectissime contendit Westphalius pag. 377 non solum versu intercalari *αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ'εὖ νικάτω* strophas et epodum esse coniunctas, sed tota rhythmorum indole eximia. Bene docet, strophas et epodum in duas partes distribui ita quidem comparatas, ut altera contineat tetrametros, altera versus breviores. Meam tamen versuum divisionem si probamus, ut quinque tetrametri in hac stropha efficiantur, fieri nullo modo potest. Ceterum non probo Westphalii sententiam, qua arsis versum primum concludens ab eo desiderata suppletur anacrusi versus subsequentis. Vehementer enim ipse secum pugnat vir doctus, cum antea contendat pag. 371, anacrusin in versibus dactylicis apud tragicos non esse statuendam reprehendatque Godofredum Hermannum tale quid pro certo ducentem, hoc autem loco ipse adverbio *ἔτι* anacrusin ordinis dactylici subsequentis expleri censeat. Porro iustam desidero causam, cur Westphalius eiusmodi ordinum dividendorum ingressus sit rationem, praesertim cum *ἔτι* versui antecedenti potuerit adici, ut metrum quale cupivit, restituatur. Dubitavit fortasse de hac re interpunctione offensus; post enim *ἐκτελέων* colon

ponendum est versusque a particula γάρ incipiens grammaticorum ratione habet offensionis quiddam, non tamen ita ut ideo haec mensura ad rhythmorum naturam maxime accommodata queat reici. Sed videamus ipsius Schmidtii mensuram epodi. Pausas cur Schmidtius in tetrametro iambico statuat, intelligere non queo, cum rhythmus optime decurrat. Lectiones aliorum cum maximam partem sint importatae, reiciendae sunt; impediunt enim numerum. Dindorfii coniectura ὅσσων παῤ εὐφρόνων καλὰ Διὸς κόρα non videtur admittenda; existit enim senarius mea quidem sententia in canticis non probandus, cum eiusmodi exemplum, quantum equidem memini, nec apud Porsonum in praefatione ad Hecubam p. 20, nec apud Hermannum in editione Hecubae p. 1800, in praefatione p. 34, elem. doctr. metr. pag. 104 nec apud Reisigium in coniectt. in Aristoph. cap. 1 inveniatur. Deinde metrum in versu sequente a Schmidtio constitutum ὀρόσοισιν ἀέπτοις μιαλερῶν λεόντων tale est, ut in ea acquiescere non queamus ∪ – ∪ ∪ – – ∪ ∪ – ∪ – –. Extrema enim syllaba brevis in ὀρόσοισιν ad metrum constituendum non solum prorsus est supervacanea, sed offensione iusta digna est, cum mensurae iambicae repugnet. Coniectura Ἀτρείδαιν a Schmidtio prolata probanda est. Existit enim pentapodia dactylica pag. 371 a Westphalio commemorata. Lectio τόσον περ εὔφρων iam ab Hermanno optime ex Flor. Farn. codice restituta est. Quomodo Hartungius χρονίας glossema ducere potuerit, equidem non intelligo, cum libris manuscriptis traditum ab Hermanno non retineatur. Verborum sequentium tractus is est, ut criticorum conatus saepius eluserit. Hermannus scribit: μή τινας ἀντιπνόους Δαναοῖς χρονίας ἐχενῆδας αὔρας ita ut verba ipsa ne minimum quidem habeant offensionis. Metrum tamen non iustum restituitur Hermanniana lectione servata. Desideratur enim syllaba in ἐχενῆδας ad numerum, qualis metri legibus postulatur, efficiendum. Itaque Dindorfius rectissime scripsit ἐχε-

νηΐδας, falso αὔρας, quod traditum cum non sit, a critico excogitatum fulcro caret necessario. Ordo a Dindorfio in medium prolatus μή τινας ἀντιπνόους Δαναοῖς χρονίας ἐχενηΐδας αὔρας is est, ut metrum — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — — prae se ferens heptapodia dici queat. Heptapodiam enim dactylicam ita quidem comparatam, ut cum tetrapodia praecedente tripodia ad unum ordinem coniungatur, probandam esse docet Westphalius II p. 370 exemplaque affert Av. 1748, 1. 2. Pers. 864, 1. 3. 897, 1. 5. Equidem miror, criticos, quantum intelligo, nondum vidisse, metrum simplicissimum posse restitui hoc a Westphalio prolatum — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — si scribatur μή τινας ἀντιπνόους, Δαναοῖς χρονίας ἐχενηΐδας ἀπλοΐας. Ita tradita lectio retinetur metrumque statuitur usitatum et probandum. Exsistit enim ordo ex duobus tetrametris constans, quorum alter est acatalectus, alter catalecticus. De Hermanniana lectione idem proferre audeo iudicium quod de Dindorfiana. Trimeter dactylicus cum pentametro ad unum ordinem consociatus est reiciendus, cum nescio quo modo ordo exsistat longissimus hypermetrorumque indolem paene migrans, si recte intelligo Heph. p. 35 II Gaisf. ad. Schmidtii lectio μή τινας ἀντιπνόους Δαναοῖς ἐχενῆδας ἀπλοίας τεύξῃ non solum reicienda est propterea quod a tradita recedit transpositione verborum admissa, sed etiam quod in ordine — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ — — — — rhythmus inest non probandus. Agglutinatur hexametro dactylico spondeus vel pentametro dispondeus. Haec altera mensura mihi multo magis arridet, quod ordinis dactylici commoda fit conclusio. Dubito tamen, num metrum eiusmodi absonum queat statui, praesertim quum dactylicis ordinibus additamentum non adiciatur. Quae sequuntur apud Schmidtium, ea sunt ut acquiescere in iis nullo modo queamus, cum vox νεικέων ultimo loco posita ita ut spondeum efficiat, hexametro adnumerari non possit. Accedit quod

apud tragicos synizesin genitivi pluralis tertiae declinationis in clausula versus quam maxime puros numeros efflagitante usurpari non solere observavi. Versus sequentis metrum hoc esse censet Schmidtius:

— ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ ∪ || — — | — ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — — ‖ *τέκτονα σύμφυτον ὠλεσιάνορα. μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνορτος.*

Recte contendit Schmidtius, Hartungii lectionem *συμφυτόρων* non esse probandam. *νείκεα συμφύτορα* iras maternas significare nullo modo queunt, *συμφύτωρ* vox Graeca omnino non est et si esset, pariendi notionem potius prae se ferret, quam rei partae. Non tamen credo, *σύμφυτον* esse reiciendum propter sequens *σὺ δεισήνορα*, ut ait Schmidtius. Desidero causam, qua talis sententia possit stabiliri. Fortasse vir doctus hexametrum statuens dactylicum arbitratus est, caesuram migrari lectione *σύμφυτον* retenta. In quo recte iudicavit; errat tamen qui putat, caesuram in duobus trimetris constitutis servandam esse. Omnino melius est servare scripturam traditam eamque interpretando retinere, quam nova lectione in medium prolata difficultatem augere. *ὠλεσιάνορα* coniectura Schmidtii ea est, ut non valde vituperanda sit, non tamen, ni fallor, necessaria. Denique vitupero quod *τοῖς δ' ὁμόφωνον* ad ordinem praecedentem refert *μόρσιμ' ἀπ' ὀρνίθων ὠδίων οἴκοις βασιλείοις*, cum conclusio fiat aptissima hexametri voce *βασιλείοις*. *Τοῖς δ' ὁμόφωνον* ordo est sui iuris quo poëta concitationem animi sedat. Quam rhythmi interruptionem strophae maxime propriam esse ac peculiarem, iam antea locis nonnullis ostendi. Accedit ad sententiam meam stabiliendam, si ordinem statuimus, qualem Schmidtius in medium protulit:

μόρσιμ' ἀπ' ὀρνίθων ὠδίων οἴκοις βασιλείοις. τοῖς δ' ὁμόφωνον dactylici ordinis quidem leges non migrantur, sed interpunctione maiore post *βασιλείοις* ordinis clausula quodammodo significata. Itaque miror Westphalium hoc admini-

culo non esse usum ad ordines dimetiendos, praesertim quum ipse dicat. „Wir wollen noch darauf hinweisen, daß fast überall die Interpunction mit dem Versende zusammenfällt.“ In ordinibus sequentibus diudicandis Schmidtius cum Westphalio plane consentit. Porro rectissime Westphalius ordinem *μή τινας ἀντιπνόους Δαναοῖς χρονί | ας ἐχενήϊδας ἁπλοΐας* constituit Schmidtiusque, ut supra demonstravi, reprehendendus est. Porro Schmidtius ipse perquam inepte iudicat, cum Westphalio obiciat, interpolationem gravissimam ab eo se admissam ad suum numerum efficiendum *ἀλάστορα* post *ἄδαιτον*. Equidem tale quid in Westphalii oper. pag. 376 non legi. Deinde minime intelligere queo quid sibi velit Jo. Henricus Schmidtius quum contendat, periodorum ordinem iustum in Westphalii strophae adornatione non inesse, duplex potius in eo agnosci posse initium, cum ipse in universum paucis rebus exceptis stropham eodem modo diudicet. Statuit enim uterque vir doctus duas strophae partes ita ut in altera insint ordines iambici dactylicique breviores, in altera dactylici longiores. Ita duplex initium rectissime a duobus illis viris doctis constitutum iusta caret vituperatione, miror tamen Schmidtium ipsum quamquam in adnotatione negat, Westphalii sententiae se favere, *φάσματα στρουθιῶν* v. 6 et *τέκτονα ξύμφυτον* v. 10 ita metitur Westphalius, ut ultimam syllabam et in *φάσματα* et *τέκτονα* ducat brevem. Quam tamen mensuram reicit Schmidtius, cum *στρ* et *ξ* propter consonantium conglutinationem debilem positionem efficere posse neget. Perfacile tamen alter locus ita potest corrigi, ut in textum inducatur *σύμφυτον*, in altero offendendum esse non credo, cum tres litteras consonantes consociatas, quarum duae ex muta et liquida constant, tertia muta est, breves esse exploratum sit Horatiique exemplo quod mihi praesto est, stabiliri queat „praemia scribae“ in clausula hexametri dicentis. Lachmanni et Hermanni sententiam cur reiciat Schmidtius, non apparet. Uterque rectissime intellexit, hexa-

metrum dactylicum hoc loco esse statuendum, sed diversa ratione id quod voluerunt, assecuti sunt, Lachmannus ita ut *μῆνιν*, Hermannus ut *φωτὸς* post *οὐ δεισήνορα* posuerit. Mutationem metri causa factam metri causa reiciendam esse quomodo Schmidtius contendere potuerit, non manifestum est.

In stropha altera Agamemnonis Schmidtius errat, cum ordines singulos conglutinet. Optimus est rhythmus ordinibus per se spectatis. Ita hac ratione metrum mihi est statuendum Engeri exemplum secuto:

Ζεὺς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐ | τῷ φίλον κεκλημένῳ
τοῦτό νιν προσεννέπω.
οὐκ ἔχω προσεικάσαι
πάντ' ἐπισταθμώμενος
πλὴν Δίος, εἰ τόδ' ἐμᾶς ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.

Antistrophae eodem modo facienda est diudicatio:

Οὐδ' ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας παμμάχῳ θράσει βρύων,
οὐδὲ λέξεται πρὶν ὤν.
ὅς δ' ἔπειτ' ἔφυ, τριακτῆρος οἴχεται τυχών.
Ζῆνα δέ τις προφρόνως ἐπινίκια κλάζων
τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν.

Errare videtur Schmidtius anacrusin in spondeo primi versus non agnoscens, cum pausae signum utroque loco statuat. Prorsus eandem rationem secutus de altera stropha iudico excepto eo quod anacrusis in ea deest. Inde nascitur sententia, Schmidtii coniecturam *ἔστακεν δ'* mihi non arridere, cum egrediatur rhythmi leges dispondeum postulantis. Acquiescendum est in Hermanniana lectione *στάζει δ' ἐνθ' ὕπνῳ* vel potius amplectenda Emperii lectio *ἀνθ' ὕπνου*, cum particulae *τε* nihil accuratissime respondeat. Ita divisio metrorum cum eandem vim ac rationem, quam in antecedenti stropha sum ingressus, initurus sim, facillime potest defendi. Cum Hermanno et Engero versum eiusmodi constituo, ut *μνησιπήμων πόνος καὶ παρ' ἄ* — tripodiam cre-

ticam ducam, ordinem sequentem tetrapodiam trochaicam catalecticam. Falso tamen Hermannus *δαιμόνων δέ που χάρις* singularem ordinem esse censet omisso *βίαια*; ordo potius is est constituendus *δαιμόνων δέ που χάρις βίαια* strophaeque magnifica fit conclusio pentapodia trochaica catalectica. Hanc mensuram Engerus etiam elegit, Schmidtius non item. Miror Schmidtium ne verbo quidem tetigisse causas, cur eiusmodi sententiam in medium protulerit. Cum Hermanno scribendum credo *παλιρρόθοις ἐν Αὐλίδος τόποις*, non *παλιρρόχθοις*, cum ordo sit trochaicus habendus, si eius ambitus statuitur.

Sequentem stropham et antistropham rectissime diudicavit Schmidtius excepto eo quod pausas in clausulis versuum, cum tetrapodicam mensuram in iis non agnoscam, reiciam. Cur enim dipodiam iambicam, quam ego cum ceteris editoribus statuo, excipere debeat tetrapodia trochaica, non video. Priores duo versus ita sunt metiendi, ut exsistat altero loco dipodia iambica, ⏑ – ⏑ – altero tripodia trochaica. Rhythmi enim mutatione arsium fit concursio ad gravitatem sententiarum depingendam perquam apta, nisi fallor. Cui meae sententiae favet etiam Boeckhii eiusmodi versuum descriptio. Non probo Schmidtii sententiam, qua *πρωτοπήμων. ἔτλα δ'σὺν θυτῆρ* unum ordinem efficit, sequentem *γενέσθαι θυγατρός*, censeo potius Dindorfium a scopo non ita multum aberrare, cum *πρωτοπήμων. ἔτλα δ'σὺν* contrahat ad unum ordinem; mihi tamen Hermanniana mensura ad verum propius accedere videtur excepto eo quod vox *πρωτοπήμων* – ⏑ – – mea quidem sententia ordinem sui iuris efficit. Statuo enim post eum dimetrum dochmiacum, non tamen ei numerum praemittendum esse arbitror, cum tale quid nusquam repererim. *τάλαινα παρακοπὰ* tripodia iambica est, in qua altera syllaba longa in duas breves est dissoluta. Hunc numerum plane evertit Jo. Henricus Schmidtius, quum vocabulorum *πρωτοπήμων. ἔτλα δ'σὺν θυτῆρ* voce *πρωτοπήμων*

ad sequentem ordinem relatorum hoc metrum statuat perversissimum — ∪ | ⏑ | ⏑ ∪ | ⏑ | — ∪ | — ∧ senarium iambicum duabus lacunis in altero et quarto pede praeditum, quae pausis explentur. Equidem versum si omnino statuissem, creticum trimetrum duxissem. Deinde quid sibi velit vir doctus ∪ ⋮ ⏑ | — ∪ ∪ | — ∧ ‖ *γενέσθαι θυγατρὸς* plenam pausam in altero ordine statuens, non video. Extorqueri videtur metrum dactylicum, mea quidem sententia reiciendum, cum pausa quattuor numeros complectens in dactylicis versibus non admittenda sit. Equidem censeo, agnosci posse dimetrum dochmiacum ∪ — — ∪ — ∪ — — ∪ ∪ — *ἔτλα δ' σὺν θυτὴρ γενέσθαι θυγατρὸς* meamque sententiam demonstravi. Sequens stropha in universum ita a Schmidtio constituta est, ut in ea acquiescere possimus. Cur Schmidtius ubique trochaicum numerum conetur restituere, intelligere non queo. Difficultatem ipse sibi parat vir doctus; equidem numeri mutationem optime depingi credo, si statuitur numerus ∪ — ∪ — — ∪ — — ∪ — constans ex dipodia trochaica et dipodia cretica, cum arsium fiat iusta inter se concursio. Strophae, de qua loquimur, metrum a Schmidtio rectissime est constitutum excepto eo quod trochaicos ordines a viro docto in medium prolatos non statuo, cum pausam necessariam non ducam. Quid sibi velit Schmidtius difficultatem novis additamentis adaugens, non intelligo. De versu *θεοὶς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν* ∪ — ∪ — — ∪ — — ∪ — ita censeo esse iudicandum, ut arsium concursione admissa duas in eo partes credam posse statui earumque alteram dipodia iambica, alteram dimetro cretico contineri. ∪ — ∪ — — ∪ — ∪ — ∪ — — ∪ —. Ordo is est, ut similem ostendat mensuram, quam ordo antecedens. Constat ex duabus partibus plane eadem ratione constitutis, quarum unaquaeque constat ex dipodia iambica et sequente cretico. Ita arsium fit concursio. Versum sequentem non cum Schmidtio puto esse metiendum, ita ut exsistat trochaicus ordo cum anacrusi

pausis quadruplicibus quattuor locis admissis. Distrahitur enim rhythmus magis quam coërcetur. Equidem arsium concursione facta inter singulos ordines sic sentio: ∪ — — — ∪ — ∪ — — — ∪ — *πέφανται δ' ἰκτίνουσα τόλμη τῶν Ἄρη*, ut primo loco statuam epitritum primum, altero tetrapodiam iambicam sive quaternarium. ∪ — — — ∪ — ∪ — — *πνεόντων μείζον ἢ δικαίως* Schmidtius cum omnia ad trochaicum numerum referre, ne dicam, extorquere studeat, pausis quattuor locis admissis metitur me non probante; equidem ubique in hac stropha censeo statuendam esse mensuram eiusmodi, ut arsium agnoscatur concursis.

∪ — —|— ∪ — ∪ — — *φλεόντων δωμάτων ὑπέρφεν* Schmidtii sententiam non secutus ita diudico, ut credam eum constare ex bacchio et tripodia trochaica. Aliam mensuram non statui, cum in altero pede spondeum pro trochaeo non esse admittendum exploratum sit. Voces *ὑπὲρ τὸ βέλτιστον. ἔστω δ'* Schmidtius putat duabus pausis admissis ita esse metiendas, ut trochaicus numerus in iis agnoscatur, ego non item. ∪ — ∪ — — ∪ — — ordo est ex dipodia iambica et dipodia trochaica constans, quum ultima syllaba anceps sit atque ita longa esse queat. *ἀπήμαντον ὥστε κἀπαρκεῖν*

∪ ‿ ‿ ∪ ‿ ∪ — ∪ — censeo esse monometrum dochmiacum sequente dipodia trochaica. Rectius metitur ordinem sequentem *εὖ πραπίδων ἔχοντι* — ∪ ∪ | — ∪ | ⌐¯ | — Λ, nisi forte ei obiciendum est, quod pausam duos temporis numeros complectentem statuit et postea syllabam longam, cum opus non sit, falso ponat. Multo simplicius ordo logaoedicus construitur — ∪ ∪ — ∪ — ∪ ita quidem formatus, ut dactylum excipiat dipodia trochaica.

Οὐ γάρ ἔστιν ἔπαλξις
πλσύτου πρὸς κόρον ἀνδρὶ
λακτίσαντι μέγαν Δίκας βωμὸν εἰς ἀφάνειαν



In universum Schmidtii mensura est recta, nisi forte in eo erravit quod extremo loco versus primi pausam maioris extensionis statuit. Plane falso contra in versu — ∧ ‖ metrum inesse censet, cum satis sit exploratum, in *ἀφάνειαν* ultimam syllabam esse brevem. Stribliginem igitur in hoc versu admisisse censendus est Schmidtius.

Str. γ.

Strophae quattuor esse partes rectissime contendit Schmidtius pag 165 earumque initium fieri primo et altero loco ab anacrusi ex una syllaba correpta constante, tertio ex duabus syllabis correptis, quarto ex spondeo. Non enim credo pausam illic nobis esse statuendam eo magis quod anacrusium duplici natura orationis gravitas augetur. Coniectura Schmidtii *ὀπαδσῦσ'* pro *ὀπαδοῖς* ea est, ut paene pro certo queat haberi assentiorque viro docto quod traditam scripturam librorum manuscriptorum retinet. Epodi etiam metrum opinionem suam secutus rectissime constituit.

In altero stasimo diudicando omnia plana sunt et inter se concinna. Erravit tamen Schmidtius, cum *δι' ἔριν αἱματόεσσαν* ⏑ ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | ⏑̲ | — ∧ ‖ ordinem censeat esse, in quo extremo loco — ∧ hoc metrum inest. In *αἱματόεσσαν* ultima syllaba est brevis. Epodus in universum non falso est constituta, nisi forte reicienda est Schmidtii opinio, qua in altero versu metrum in clausula statuitur — ∧ ‖, cum ultima syllaba in *φιλόμαστον* sit correpta trochaicusque ordo a Schmidtio in medium prolatus non videatur probandus. Hic Schmidtii error ea re facile potest excusari, quod studet trochaicum numerum restituere. Quod idem vitium inest in ordine — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | ⏑̲ | — ∧ ‖ *Ἄμερον εὐφιλόπαιδα*

quum in eiusmodi versu ultima syllaba in εὐφιλόπαιδα habeatur longa statuaturque pausa minime necessaria. Mihi tamen universa stropharum harum mensura qualis a Schmidtio est constituta, videtur reicienda, quum vir doctus pausas usurpet minime probandas. Quomodo in primo numero post anacrusin statui queat pausa dactylici numeri vice fungens vel quod per mensurae rhythmicae leges ad idem redit, spondaici, intelligere non queo, praesertim eum in syllaba θρεψ quae positione, non natura longa est, eiusmodi mensura inesse non queat. Plane eodem modo de pausa in φιλόμαστον iudicare audeo, quum in μαστον hic numerus nullo pacto possit agnosci. Accedit quod ultima syllaba στον brevis est nec positione facta est longa producta syllaba non sequente. Assentior tamen viro docto quod ordinis ’εν βιότου προτελείοις hac – ∪ ∪ | — ∪ ∪ | ⏑ | — ∧ ‖ statuta mensura duplicem pausam, cum syllaba diphthongo sit producta, censet esse ferendam.

Agam. 681—782 Metrum tale constituit ∪ ⋮ — ∪ | ⏑ | — ∪ | ⏑ ‖ — ∪ | ⏑ | — ∪ | ⏑ ‖ — ∪ | — ∪ | — ∪ | — ∪ | — ∧ ‖ 1—3. Pausae numerum trochaicum explentes reiciendae sunt omninoque trochaica mensura respuenda, quum arsium concursione fiat apta mensura, non si rhythmus semper eadem lege decurrat. In universum Hermanniana mensura est retinenda ita ut singulorum ordinum servetur indoles. Quid sibi velit Henricus Schmidtius in altero ordine diudicando, equidem nullo modo possum percipere; rectissime Godofredus Hermannus in adnot. pag. 429 dicit, κότον explicationem esse adscriptam ad δαίμονα τὸν

ἄμαχον esseque scribendum τότ’ ἦ τότ’ ἔστ’ ἂν ἐπὶ τὸ κύριον μόλῃ

νέᾳ ῥαφᾷ.

Ita similitudo optime potest agnosci a Parcis ducta. Non cum Hartungio scribendum est μελαμφαὲς σκότος, quam

lectionem duco satis ieiunam ac ne minimum quidem poëticam, cum omne σκότος sit nigrum.

Eumenid. Parodos

γ' 373—376. 377—380.

Westphalius haec metra ita explicat, ut contendat, tres pentapodias fortasse ita diudicandas, ut cyclia mensura inita trimetri brachycatalectici metiendi sint, excipere tetrapodiam trochaicam epodi vici fungentem. In universum Westphalius rectum tulit iudicium. Mensura tamen cyclia mihi reicienda videtur quum duobus spondeis δόξαι τ' ἀνδρῶν antecedentibus ordini mere dactylico excepta versus clausula fiat nescio quaedam rhythmi conclusio, ut trimetrorum mensura sit inepta. Credo omnes esse meras pentapodias usitatam rationem omnium eiusmodi ordinum sine controversia prae se ferentes.

In stropha Agam. IV σ, β' diudicanda a Schmidtii partibus non sto. Censeo enim primum versum esse eum, qui non ad eundem numerum queat referri. Altera enim eius pars ita est constituta, ut habenda sit tripodia iambica catalectica. Mensura ὑγιείας a Schmidtio prolata mihi minime arridet; constare dicit, brevi vocali in vocabulo ipso sequente longam aliter non esse metiendam. Equidem tamen cum numerum tam absonum, qualis inest in ὑγιεῖᾶς praecedente diphthongo constituere non audeam, cum Hermanno scribendum esse censeo ὑγίᾶς. Coniecturae quas protulit Hartungius recepitque Schmidtius, mea quidem sententia eae sunt, ut probari non queant. Abhorrent enim a librorum manuscriptorum lectionibus. Consistendum est in Godofredi Hermanni textus recensione. Deinde quid sibi velit Henricus Schmidtius lectione γειτονιῶν valde ieiuna ac prosaica in textum inducta, non video, praesertim quum versus duo quales ab Hermanno sunt constituti, optime cum rhythmo postulato concinant. Prior est ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — conflatus ex ionico a minore et archilochio, qui dicitur, mi-

nore. Lacunam esse censet Schmidtius post *ἀνδρὸς*. Quomodo tale quid contendere potuerit vir doctus causis, cur hoc diceret, non allatis, equidem non intelligo. Lacuna est post *γὰρ* eaque expleta est ab Hermanno adiecta particula *ἀεὶ* secuto in hac re Blomfieldium. Itaque eicienda est Bambergeri sententia, qua inserenda sunt *'επαιρομένου τύχαις* quae per se quidem probari possunt. Hartungii opinionem qui sequitur, ad magnos errores sine dubio ducitur. Non enim solum interrumpit quodammodo Hartungius sententiarum connexum metrique naturam, cum tetrapodiam dactylicam statuat sequente molosso. Non enim puto pentapodiam hypercatalecticam hoc loco esse intelligendam, cum tres illas syllabas longas per se esse accipiendas censeam. Hoc modo rhythmus, qui antea maxime fuerat concitatus, quasi ad se ipsum redit gravitatique inservit molossus. Porro causa mihi perobscura est, cur Schmidtius a tradita librorum manuscriptorum lectione *ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα*

⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ recedendum critico esse censeat. Causae a Schmidtio ad coniecturas firmandas allatae fictae sunt neque eo probandae.

Canticum 1072—1077.

K. ὀτοτοτοῖ τοτοῖ δᾶ.

Ἄπολλον Ἄπολλον in universum recte mensus est Schmidtius, ut de eius mensura fusius exponere eum non oporteat. Pausas tamen in clausula versuum censeo esse reiciendas. Ordinem *Ἄπολλον Ἄπολλον.*

– — ⏑ ⏑ — ⏑ ita metior, ut statuam tripodiam iambicam catalecticam. Versus *μισόθεον μὲν σὺν πολλὰ συνίστορα* est dimeter dochmiacus. Ordo *αὐτοφόνα τε κακὰ κἀρτάναις* — | ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ | — Λ Schmidtii mensura probata videtur esse tetrapodia trochaica catalectica praemissa anacrusi, id quod artis metricae regulis firmatur. Syllaba longa in primo et altero pede in duas breves est dissoluta. Strophae *δ'* et *ε'* metra quomodo sint diudicanda, rectissime in-

telloxit Schmidtius, ut res disputatione non egeat. Pausis quas Schmidtius in incisione ordinum statuit, sublatis numerum dochmiacum ubique restituere conor:

ἰὼὶ γάμοι, γάμοι Πάριδος ὀλέθριοι
φίλων. ἰὼ Σκαμάνδρου πάτριον ποτόν.
Τότε μὲν ἀμφὶ σὰς
αἰῶνας τάλαιν'.
ἡνυτόμαν τροφαῖς.

Versus νῦν δ' ἀμφὶ Κώκυτόν τε κ' Ἀχερουσίους
ὄχθους ἔοικα θεσπιῳδήσειν τάχα

sine dubio sunt trimetri iambici bene tolerandi, cum Cassandra dicat, non chorus. Τί τόδε τορὸν ἄγαν ἔπος ἐφημίσω; dimeter dochmiacus est. In universum stropha ex dochmiacis versibus constat. Interrumpitur dochmiacus numerus dipodia iambica νεογνὸν ἂν βρέφος μάθοι.

Vita.

Carolus Fridericus Guilelmus Loeschhorn natus sum Magdeburgi anno MDCCCLI a. d. XII Cal. Octbr. Primis litterarum elementis cum instructus essem in gymnasio cathedrali Magdeburgensi a paschali tempori anni MDCCCLX usque ad Michaelis tempus anni MDCCCLXVIII, primus omnium testimonio maturitatis instructus in unisitatem Halensem migravi ibique sesquialterum annum versatus alteram triennii academici partem Berolini egi, ita ut in antiquas potissimum linguas ediscendas, in historiam, in philosophiam incumberem. Seminarii phi-

lologici Halensis Bernhardyo et Keilio rectoribus, societatis philologicae Berolinensis rectore Aemilio Huebnero sodalis fui ordinarius. Scholis interfui horum virorum clarissimorum: Bernhardyi, Bergkii, Keilii, Erdmanni, Ulrici, Duemmleri, Kirchhoffii, Mommseni, Huebneri, Hasselii, Althausii, E. Curtii. His omnibus viris optime de me meritis quam possum maximas ago semperque habebo gratias. Examine pro facultate docendi rite superato praeceptoris superiorum ordinum vice in gymnasio Wittstochensi a Michaelis tempore anni MDCCCLXXII usque ad hoc tempus fungor. — Pater, qui actorum recensendorum munus in magistratu Magdeburgensi sustinuit, anno MDCCCLIII mortuus est, matre adhuc viva et integra laetor.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 036 100 3